



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione
praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agr., 1684

Ad Quæst. 28. Decisio CXXV. Episcopus habet fundatam intetionem
iurisdictionis in sua Diœcesi contra Archi-Presbyterum prætendentem
habere iurisdictionem in præjudicium Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Clericos seculares Ecclesie Sancti Ambrosii, quæ non videbatur Archiepiscopum comprehendere, cætera quæ commemorabantur, vel circa dominium, vel circa exceptionem Ecclesie vix ad hunc articulum pertinebant, vel cum respicerent petitionem, vel prætensionem inter Monachos, & Clericos seculares ejusdem Ecclesie.

Ad Quæst. 28.

DECISIO CXXV.

Episcopus habet fundatam intentionem jurisdictionis in sua Diocesi contra Archi-Presbyterum prætendentem habere jurisdictionem in præjudicium Episcopi.

R. P. D. COCCINO.

Baren. Jurisdictionis.

Lunæ 16. Februarii 1609.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| <p>1 Episcopus habet fundatam intentionem jurisdictionis in terris in sua Diocesi existentibus.</p> <p>2 Sententia verba ubi sunt ambigua, interpretantur ex libello & petitione.</p> <p>3 Diffinitio dicitur odiosa, que est contra dispositionem juris communis.</p> <p>4 Sententia est stricti juris, & nihil amplius probat, quam quod ex eadem necessario inferitur.</p> | <p>5 Diffinitio correctoria juris communis sufficit, ut aliquid operetur, & ut minus corrigat jus commune quam sit possibile.</p> <p>7 Episcopus de jure communi habet facultatem instituendi presentatos in jure patronatus.</p> <p>8 Dicitio prout hactenus consuetum est, fiat conditionaliter, quatenus sit consuetum.</p> |
|---|--|

Prout

Prout dictio conditionem importat
item num. 8.

10 Testes probantes immemorabilem præ-
scriptionem cuius aetatis esse de-
beant.

9 Jurisdictione Episcopi præscribitur ad fa-
vorem Archipresbyteri per imme-

Fuit per Dominos resolutum, laudum ad favorem Archipresbyteri Aquæ vi-
væ non esse iustum, quia cum terra Aquæ vivæ sit in Diocesi Baren. D. Archie-
piscopus de jure communi habet intentionem fundatam, quod dicta terra
sua jurisdictioni Episcopali sit subjecta, C. cum persona de privil. in 6. C. omnes Ba-
siliæ, 16. quæst. 7. Roman. consil. 180. num. 4. vers. habet enim Episcopus. Feder. de
sen. cons. 145. num. 6. ante finem. vers. unde si aliquis, & propterea sequitur, quod
allegans jurisdictionem ad se spectare, tenetur hoc concludenter probare, cum sit
fundamentum intentionis suæ, juxta not. per Innoc. in C. super his num. 10. vers.
ad argumentum contra de accusat. & per Bart. in L. in illa num. 5. ff. de verborum
obligat. quod non probat Archipresbyter.

Primò enim nullibi apparet, prout illi conceditur in Laudo, quod in terra A-
quæ vivæ, ejusque Territorio liceat sibi exercere jurisdictionem in causis civilibus,
& criminalibus, & mixtis, & forum Ecclesiasticum spectantem, nam declaratoria
Archiepiscopi Andrea, lata de anno 1227, hoc sibi non concedit, nec minus sen-
tentia Episcopi Vigilien. lata de anno 1452. quia licet utraque sententia dicat, quod
possit ferre sententias de quæstionibus coram ipso motis, tamen si attendatur prima
sententia ex præcedentibus, & subsequenter verbis, apparet, quod semper loquitur
de Clericis Ecclesiæ S. Eustachii Terræ Aquæ vivæ, & eodem modo sequitur
sententia Vigilien. nam in commissione, quæ inseruit loco libelli, dicitur, quod cogni-
tio earum inter Clericos Ecclesiæ S. Eustachii spectat ad Archiepiscopum, ex quo se-
quitur, quod cum in sententia dicatur, quod Archipresbyter de motis quæstionibus
coram ipso sententiam possit ferre, intelligenda sit de motis quæstionibus inter Cle-
ricos Ecclesiæ S. Eustachii, ubi enim verba sententiæ ambigua sunt, debent interpre-
tari ex libello, & petitione, cui conformis esse debet, L. ut fundus, ff. commun. divid. &
not. in C. licet Heli de simon. Bald. lege 1. n. 6. C. si plur. un. sent.

Unde sequitur injustitia Laudi, quod dat facultatem Archipresbytero, ut possit
cognoscere causas civiles & criminales, etiam mixtas ad forum Ecclesiasticum spectan-
tes quia in hoc excedit, tum quia multæ sunt causæ, quæ de jure etiam inter Laicos
spectant ad forum Ecclesiasticum, ut notatur in C. fin. de except. in 6. & in C. licet. de
jurejur. eod. lib. & in aliis juribus, quæ hic esset longum recensere, de quibus nulla habetur
mentio in dictis sententiis, tum etiam, quia datur hujusmodi facultas cognoscendi, non
solum quoad Clericos S. Eustachii, sed generaliter quoad omnes in terra, & Territo-
rio Aquæ vivæ, & tamen pariter in aliis sententiis nulla habetur mentio dicti Territo-
rii, sed solum quoad Clericos S. Eustachii, & cum materia sit odiosa, nempe contra
dispo-



dispositionem juris communis, ut in specie in *C. ult. de officio Archiepiscopi*, propterea dictum Territorium non comprehenditur sub dispositione Ecclesie S. Eustachii, Terrae Aquæ vivæ, ut bene per *Oldr. in cons. 121. n. 8. vers. 3. sicut se habes.*

4 Maxime cum dispositio sit in sententia, quæ est stricti juris, ita ut nihil amplius probet, quam quod ex ea necessario inferatur. *Alex. consil. 84. n. 3. lib. 3. Anch. cons. 437. in fin. Joan. de Anan. consil. 18. in princ. Achil. decis. 25. n. 3. de rest. spol. in tantum, quod omissum habeatur pro omisso, ad effectum, ut remaneat in dispositione juris communis Anchar. d. cons. 437. in fin. qui expressè sequitur in sententia tribuente jurisdictionem. Dec. cons. 445. num. 67.*

5 Tum denique, quia dictum Laudum concedit etiam jurisdictionem criminalem Archiepiscopo contra dispositionem Sacrosancti Concilii Trident. sess. 24. cap. 20. de reformatione in §. ad hoc, circa quam jurisdictionem, sententia non tribuit aliquid Archiepiscopo, quia verba illa sententiarum, quod Archiepiscopus possit cognoscere de motis questionibus coram ipso, in hac materia odiosa, debent intelligi de causis civilibus, quando enim dispositio est correctoria juris communis, sufficit quod aliquid operetur, & est interpretanda, ut minus quam fieri possit, corrigat jus commune, cap. cum dilectus de consuetud. leg. 2. C. de noxal. Roman. consil. 199. nu. 6. Paris. consil. 120. n. 6. lib. 3. maxime cum in dubio fiat interpretatio contra illum, qui se in sententia fundat, *Alex. in cons. 81. num. 5. lib. 3. Dec. cons. 321. num. 4.*

6 Laudum quoque remanet injustum, dum dat facultatem conferendi beneficia in terra Aquæ vivæ, ejusque Territorio, quia sententia sunt ad beneficia Ecclesie S. Eustachii, & nullum verbum in eis de Territorio, & ex isto capite Laudum remanet etiam injustum, quo ad alia omnia in eo contenta, quia in sententiis antiquis nulla habetur mentio Territorii, neque ad aliud potest extendi per supradicta, & in specie remanet etiam injustum, dum dat facultatem Archiepiscopo instituendi presentatos à Patronis, & casus sibi beneficos resolvendi, & monitiones de contrahendis matrimoniis abbreviandi, ac omnia alia, & quæcunque ad jurisdictionem ordinariam spectantia & pertinentia exercendi.

7 Nam quoad facultatem instituendi presentatos, nihil de hoc habetur in dictis sententiis, & de jure communi institutio spectat ad Episcopum. *C. cum ex injuncto. in fine de heret. C. nobis de jure Patron. Abb. consil. 206. n. 3. lib. 2. prout etiam ad Episcopum spectat in sua Diocesi casus reservare, ut post Constitutiones antiquas, adest Constitutio Concil. Trid. sess. 24. cap. 7. de cas. refer. & etiam eorundem prudentia, & judicio committitur, an expediat monitiones remittere, ut habetur in eodem Concilio sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.*

Et tandem injustitia Laudi apparet, dum in eo dicitur, quod Archiepiscopus omnia alia, & quæcunque ad jurisdictionem ordinariam spectantia & pertinentia exercere possit, præterquam monitiones sub pœna excommunicationis ad finem revelationis

lationis de rebus deperditis concedere, nam nullibi constat, Archipresbyterum habere hanc jurisdictionem, & licet in sententia Vigilien. dicatur, post dicta enumerata, & alia jurisdictionalia exercere prout hactenus in terra Aquaviva, tamen omisso, quod sententia non loquatur de Territorio, ut sæpè dictum est, dictio illa, prout hactenus consuetum existit, stat conditionaliter, scilicet quatenus sit consuetum, & non causative, scilicet, quia consuetum, ex quo refertur ad alia jurisdictionalia incerta, & sic non aliud certum, ut declarat Bolognet. in L. edita, qui expressè loquitur in sententia num. 141. C. de eden. ubi dicit, ita intelligendam esse communem sententiam. Bar. in extravag. ad reprimendum in verbo prout num. 2. & ex structura verborum apparet, quod dictio, prout, refertur ad verbum impersonale exercere, & non ad verbum personale concedimus, vel declaramus, & propterea debet accipi conditionaliter, ut distinguit text. in cap. Abbate, Sancti Sylvan. de verb. significat. Quia cum adjungitur verbo impersonali infinitivo, quod non habet certum numerum & personam, infinitivè intelligitur, quod cum sit incertum, non potest significare rem certam, & ideo necesse est intelligere illam dictionem conditionaliter. Joan. Andr. in d. cap. Abbate num. 6. Hestien. num. 13. Card. ibidem in §. contra quod num. 2.

Nec laudum potest justificari ex depositionibus testium, quia Archipresbyter seclusis sententiis debet probare, aut immemorabilem, aut quadragenariam cum titulo, ut not. in cap. cum persona de privil. in 6. & regulare est in omni præscriptione contra jus C. 1. de præscript. in 6. ubi notant Doctores: Hic autem quidquid dicendum sit circa testium dicta Examinatorum coram Auditore Camere, non possunt probare intentum Archipresbyteri, cum alter sit annorum 26. alter verò annorum 28. testes verò examinati in Rota, ultra quod sunt examinati sede Archiepiscopali vacante, nemine citato, & fuerunt positi ad partes, nec intentum Archipresbyteri possunt probare, cum fuerint examinati de anno 1592, & his fuerit mota de anno 1590. & de tempore examinis unus erat ætatis 35. annorum, & licet alter esset ætatis 60. annorum, tamen nec immemorabilem probat, neque quadragenariam, cum sit unicus, & ejus dictum elidatur ex multis processibus factis per Dominos Archiepiscopos pro tempore.

Testes verò examinati coram arbitris, alter est ætatis 45. annorum, alter verò 50. & fuerunt examinati de anno 1600. & sic quidquid deponant certum est, quod ex defectu ætatis, neque immemorabilem, neque quadragenariam probare possunt maximè cum sit demendum tempus litis. Bar. in L. Celsus. num. 26. & seqq. ff. de usufructu.

